sinceritatem omnia credentem et ab aliis se diligi sine dubio credat || Sermo alius. Sermo xxxvij.

Ave gratia plena. Non in sola virginitate constitit potuit gratie plenitudo. Multis enim omnibus est de ea tempore felices qui non inquinaverunt vestimenta sua et cum regina nostra virginitatis privilegio gloriantur || Sed nunc unum tantum vindemiam habes o domina et in obscuro ut videris. Post virus illa a me non est. Nam nec aspirare ad illam coronam in scrinio meo ut vinimenam fuerit sua. Sed numquid non erit michi etiam aliquid apud te non erit ubi possim esse tecum quam nam sequi non valeo quocumque ieris. Occurrit angelus puellam quam preparavit dominus filio domini mei. Bibit ipse de potu tuo contenta sibi virtute delectus sed numquid non etiam iumentis potum tribues. Bibit angelus quod vinum non cognoscas. Bibant et iumenta quod de humilitate singulariter gloriaris. Respexit enim dominus humilitatem ancille sue. Nam virginitas sine humilitate fortasse habet gloriam sed non apud deum. Humilia semper excelsus respicit qui alta a longe cognoscat et humilibus dat gratiam qui superbis resistit. Sed forte ne quidem in hiis duabus metretis plena est, potentia tua capere est. Ipsi tertie quoque metrete ut iam non solum heres et iumenta sed ipse quoque ex ea bibat architriclinus. Hoc enim vinum bonum quod servavimus usque adhuc. Haurit minister angelus ut ferat architriclino primum deo qui trinitatis principium architriclinus merito nuncupat. Dat secundum angelus fecunditatem eius commendans que tertia est metreta quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius dei ac si dicat Cum eo solo tibi est generatio ista communis || Item sermo de sancta maria. Sermo xxxviij.

Ave maria gratia plena. Bene plena quod deo et angelis et hominibus grata. hominibus per fecunditatem angelis per virginitatem deo per humilitatem. In hac tertio se a domino respectam testatur qui humilia respicit et alta a longe cognoscit. Sicut enim oculi superbi omne sublime vident ita oculi domini eam humilem invenerunt unde ait in canticis canticorum Revertere revertere sunamitis revertere revertere ut intueamur te. quater dicit revertere propter quadruplicem superbiam per quam a deo aversa non videbatur. Est enim superbia cordis superbia oris superbia operis superbia habitus. Superbia cordis est cum homo in oculis suis magnus est contra quam sapiens orat dicens Extollentiam oculorum meorum ne dederis michi Et alibi Ve qui sapientes estis in oculis vestris. Superbia oris vel lingue que et iactantia dicitur est cum homo non solum magna de se sentit sed etiam loquitur. In psalmo Disperdat dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Superbia operis est cum homo exteriorem quandam superbiam ut magnus appareat agit. De quo idem psalmista Non habitabit in medio domus mee qui facit superbiam. Superbia habitus est cum homo ut gloriosus videatur preciosis se ornat vestibus. Unde petrus apostolus non in veste preciosa. Et dominus Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Ubi superbia plus habundat || Sunt autem quinque que ad remedium tam mortifere pestis a domino invenit ac sunt posita locus corpus temptatio diaboli. predicatio Christi et conversatio eius. Locus quod exilium Corpus quod contrarium Temptatio quod invenit Christi predicatio que edificat Et eius conversatio que informat. hiis ergo quinque

Quadruplex superbia

sensibus deus vivificare operatur in anima sicut enim anima vita est corporis ita deus vita anime ut sicut corpus mortuum est quod per quinque sensus ab anima non vegetatur ita anima mortua que per hec a domino non vivificatur || Dominica infra oct. de verbis apocalipsis iohannis. Sermo xxxix.

Signum apparuit in celo mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim || Vehementer quidem nobis dilectissimi vir unus et mulier una nocuere sed gratias deo per unum nihilominus virum et mulierem unam omnia restaurantur nec sine magno fenore gratiarum neque enim sicut delictum ita et donum sed excedit dampni estimationem beneficii magnitudo Sic nimirum prudentissimus artifex quod quassatum fuerat non confregit sed utilius omnino refecit ut videlicet nobis novum formaret adam ex veteri et evam transfunderet in mariam Et quidem sufficere poterat christus siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est sed nobis bonum non erat esse hominem solum congruum magis ut adesset nostre reparationi utrique sexus quorum corruptioni neuter defuisset fidelis plane et potens mediator dei et hominum homo christus ihesus sed divinam in eo verentur homines maiestatem absorpta videtur in deitatem humanitas non quod mutata sit substantia sed affectio deificata non sola illa cantatur misericordia cantatur pariter et iudicium quia et si didicit ex his que passus est compassionem ut misericors fieret habet tamen et iudiciariam potestatem denique deus noster ignis consumens est. quid mirum si vereatur peccator accedere ne quemadmodum fluit cera a facie ignis sic pereat ipse a facie dei Itaque iam nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa invenietur equidem locus eius in hac reconciliatione opus est enim mediatore ad mediatorem istum nec alter nobis utilior quam maria || Crudelis nimium eva per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit sed fidelis maria que salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit Illa enim ministra seductionis hec propiciationis Illa suggessit prevaricationem hec ingessit redemptionem. quid ad mariam trepidat humana fragilitas nihil austerum nihil terribile tota suavis est omnibus offerens lac et lanam Revolve diligentius evangelice historie seriem universam et si quid forte increpatorium si quid durum si quid denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in maria de cetero suspectam habeas et accedere verearis Et si vere plena magis omnia pietatis et gratie plena mansuetudinis et misericordie que ad eam pertinent inveneris age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est sapientibus et insipientibus copiosissima caritate debitricem se fecit omnibus misericordie sinum aperit ut de plenitudine eius accipiant universi Captivus redemptionem eger curationem tristis consolationem peccator veniam iustus gratiam angelus leticiam denique tota trinitas gloriam filii persona carnis humane substantiam ut non sit qui se abscondat a calore eius || Putasne ipsa est sole amicta mulier. Esto siquidem ut de presenti ecclesia intelligendam prophetice visionis series ipsa demonstret Sed illud plane non inconvenienter marie videtur attribuendum. nimirum ea est que velut alterum solem induit sibi quemadmodum ille super bonos et malos oritur indifferenter Sic ipsa quoque preterita non